

1937. *MALAXIS majanthemifolia* n. sp. Bulbo epigaeo, folio solitario cordato acuminato acuto, immerse tenuiter multinervio, margine hyalino, racemo multifloro acuto. — Ab americana *ophioglossoide* differt et folio revera cordato lobis rotundatis basalibus scapum amplectente, et floribus racemosis (nec corymboso-racemosis), racemo apice acuto. Cum pluribus convenit: bulbo tunicato, folio carinato in vaginam ancipitem decurrente, scapo angulato, floribus lutescenti viridibus. Flores et fructus quam *M. paludosae* majores, minores quam *M. Loeselii*. Specimina 4- et 9-pollicaria, racemo sesquipollicem et  $6\frac{1}{2}$  poll. longo, scapus firmus.